

125. *Coronidis vice Augustinum audiamus de hac ipsa questione hunc in modum graviter differentem: Sicut cæcitas cordis, quam solus remouet illuminator D E V S, & peccatum est, quo in D E V M non creditur, & pœna peccati, qua cor superbum digna animaduersione punitur, & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur: Ita concupiscentia carnis, aduersus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis: & causa peccati est, defectione consentientis vel contagione nascentis. Aug. l. 5. contra Iul. Pelag. c. 3. Tom. 7. Col. 1066.*

126. *Cui consonat & istud: Non regnet peccatum in mortali vestro corpore. Non ait, Non fit, sed non regnet. Quã diu vivis, peccatũ necesse est esse in mēbris tuis: Saltem illi regnum auferatur, non fiat quod iubet. Aug. tract. 41. in Iob. Tom. 4. col. 309. & 310.*

---

Pars II. Articuli hujus, ἀντιθετικῆ.

127. *Classis errantium in hoc articulo est gemina: Vna eorum, qui de imagine D E I perperam sentiunt: altera eorum qui de subsecuta corruptione ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαίνόντων λόγων non observant.*

M

Quoad